Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2049
Quelle:
Copyright:

ministrationis ratio Seculo X. certe antiquior, ut vel ex admonitione liquet: *Vt abstineant se — ab idolorum contagiis, ut uota non soluant more paganorum* &c. Ad septentrionem pertinere Pastorale istud ex similibus conjicio: *Sacras scripturas legant & intellegant, ut secundum traditionem romanę ecclesię possint instruere, — Missas secundum consuetudinem celebrare, sicut romana traditio nobis tradidit. — Episcopus unusquisque in ciuitate sua scolam constituat et sapientem doctorem, qui secundum traditionem romanorum possit instruere* &c. Regionem autem ipsam non elicio. Extrema sunt: *Si quis hoc de episcopis uel de sacerdotibus non custodierit, & extra hanc constitutionem patrum uel fratrum, qui in presente sunt & manu confirmauerunt, ex eis aliquo se abstraxerit & contra statuta fratrum praesumpserit facere, sciat se excommunicandum a synodo publica.* Unde Edictum synodale esse liquet, a me nullibi, quod memini, lectum.

IV. *fol.* 63. Locus de utilitate et temporibus Jejunii, in quo memorabile: *Nonnulli propter bona opera ad electorum sortem prędordinati, sed* (propter) *mala aliqua, quibus polluti de corporibus exierunt, post mortem seuere castigandi excipiuntur flammis ignis purgaturii, & uel usque ad diem iudicii longa huius examinatione ignis a uitiorum sorde mundantur, uel certe prius amicorum fidelium precibus, elimosynis, ieiuniis, fletibus, & hostię salutaris oblationibus absoluti poenis & ipsi ad beatorum perueniunt requiem.*

V. *fol.* 65. absque titulo et nomine Autoris: *Hinc etenim superna uoce ad moysen dicitur: Loquere ad aaron: Homo de semine tuo* &c. Est Caput XI. *Regulae Pastoralis Gregorii* M.

VI. *fol.* 70. Catechesis de Oratione Dominica: *Pater noster qui es in cęlis. Interrogatio & responsio. In eadem oratione quot petitiones inueniuntur? Resp. septem. Int. Quę est prima? Resp. Sanctificetur nomen tuum. Int. Hoc quod in capite dixisti: Pater noster qui es in cęlis quomodo intellegitur* &c. Responsio ad IV. Petitionem ita habet: *Hoc loco panis pro omnibus cybis accipitur, de quibus cotidie uiuere debemus. Precamur etiam pro adsumptione corporis christi, petimusque denique, ut nobis seipsum tribuat, qui est panis uiuus.*

VII. *fol.* 72. *Incipit Constitutio Et Fides Niceni Concilii Subditis Capitulis Suis.* Id est *Canonibus* XX. et quidem interprete *Dionysio Exiguo*, prout una cum Praefatiuncula: *Facta est autem haec synodus apud nichiam bithinie* &c. leguntur T. II. *Collect. Concill. Labb.* edit. *Venet. col.* 29. et 43. Textus infra Editorum perfectionem est; adscribam tamen Δεκαστιχον, quod inter Symbolum et Canones interceptum reperi:

Con-